

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 4352

**Auteur(s) :** G., Coutances (chantre)

**Auteur(s) :** G., pénitencier, Coutances (chanoine)

**Bénéficiaire(s) :** La Lucerne-d'Outremer, Sainte-Trinité de La Lucerne (abbaye)

**Genre d'acte :** lettre

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1278, 16 mai

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Le chantre G. et le pénitencier G., chanoines de Coutances et juges papaux, et le clerc Guillaume dit Tirel, prieur des Frères Prêcheurs de Coutances, en indiquant la bulle du pape Nicolas [III], ordonne au prêtre de Saint-Ursin de faire comparaître péremptoirement à Coutances l'abbé et les chanoines de La Lucerne, soit par eux-mêmes soit par leur procureur, pour être enquêtés concernant la provision faite audit clerc Guillaume des bénéfices ecclésiastiques de la cité ou du diocèse de Coutances appartenant auxdits chanoines.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Luzerne, n° CXXXVII, p. 120-122.

## Dissertation critique

M CC LXX octavo, die lune post Cantate

Texte établi d'après a

G. cantor et G. penitenciarus, canonici Constanciensis ecclesie, iudices vel executores a domino papa dati, una cum viro religioso priore Fratrum Predicatorum Constanciensium, Guillelmo dicto Tirel, clerico, Constanciensis dyocesis, super provisione eisdem clerico facienda de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, spectante, in civitate vel dyocesi Constanciensi, ad collacionem seu presentationem virorum religiosorum abbatis et conventus Sancte Trinitatis de Lucerna, Premonstratensis Ordinis, presbitero de Sancto Ursino salutem in Domino. Litteras domini pape non cancellatas, non abolitas nec aliqua sui parte viciatas recepimus in hec verba.

Nicholaus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori Fratrum Predicatorum, cantori ac penitenciaro Constanciensibus salutem et apostolicam benedictionem. Constitutus in presentia nostra dilectus filius Guillelmus dictus Tyrel, pauper clericus Constanciensis dyocesis, nobis humiliter supplicavit ut cum ipse, sicut asserit, nullum adhuc beneficium ecclesiasticum sit adeptus, provideri sibi de benignitate apostolica mandarem. Quia igitur illi sunt ad ecclesiastica beneficia promovendi quibus mores et scientia suffragantur, cum idem clericus quem per dilectos filios Bernardum, archidiaconum de Ameliano in ecclesia Ruchensi, et magistrum Campanum de Novaria, capellanos nostros, ac fratrem Fernandum, Ordinis Fratrum Minorum, super hoc examinatos deputatos a nobis, de litteratura examinari fecimus diligenter, inventus sit in illa convenienter ydoneus ad beneficium ecclesiasticum optinendum, nos, de vita et conversatione ipsius clerici noticiam non habentes, discretioni vestre, cum ecclesia

Constanciensis pastore vaccare dicatur ad presens, et ecclesia Fratrum Minorum ibidem non existat, per apostolica scripta mandamus quatinus, de hiis sollerter inquirentes, si eum vite laudabilis et honeste conversationis esse reppereritis, et aliunde beneficium ecclesiasticum non obstineat, nec alias scripserimus pro eodem, aliudque canonice non obsistat, eidem clerico, secundum sue probitatis merita, de competenti beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, consueto ab olim clericis secularibus assignari, spectante ad collationem vel presentationem dilectorum filiorum abbatis et conventus monasterii Sancte Trinitatis de Lucerna, Premonstratensis Ordinis, Abrincensis dyocesis communiter vel divisim, si quod in civitate vel dyocesi Constanciensi vaccat ad presens, vel quam cito ad id se facultas obtulerit, dum nondum pro alio scripserimus super conferendo sibi beneficio, ad eosdem abbatem et conventum pertinente, vel ipsi non sint super alterius provisione auctoritate nostra gravati, per vos, vel per alium aut alios providere curetis, inducentes eum in corporalem possessionem ipsius beneficii, et defendentes inductum ac facientes ipsum ad illud, si in ecclesia collegiata fuerit, postquam de ipso vacante sibi provisum extiterit, in canonicum recipi et in fratrem, non obstante si forte predecessores nostri Romani pontifices de beneficiis ad dictorum abbatis et conventus collationem vel presentationem spectantibus fecerint vel mandaverint aliquibus provideri, dummodo non plures quam duo ex illis quibus nolumus auctoritate presentium prejudicium gravari, beneficia, ratione hujus modi provisionis, expectent, vel si eisdem abbati et conventui, seu personis ipsius ecclesie in qua sibi providendum duxeritis, a sede apostolica sit indultum quod ad receptionem seu presentationem alicujus minime teneantur, quodque ad id compelli aut quod interdicti, suspendi vel excommunicari non possint, vel quod alius nequeat de beneficiis ad eorumdem abbatis et conventus collationem seu presentationem spectantibus aliquibus providere per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem, sive qualibet alia prefate sedis indulgentia cujusconque tenoris existat per quam effectus presencium impediri valeat vel differi, et de qua in nostris litteris mencionem fieri oporteat specialem aut indulgentiam, si qua tibi, fili prior, vel Ordini tuo ab apostolica sede sit concessa quod non tenearis te intromittere de quibusconque negociis que tibi per ipsius sedis litteras committuntur, nisi in eis de concessione hujusmodi plena et expressa mentio habeatur, contraditores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo ; ita tamen quod idem clericus, sicut requiret onus beneficii de quo sibi provisum fuerit, ad ordines statutis temporibus se faciat promoveri et personaliter resideat in eodem, alioquin si ipse se, ut predicatur, promoveri non fecerit, hujus modi gracia et omni ejus commodo sit et ipse privatus ; si vero per superiorem suum canonicum monitus in beneficio de quo sibi provisum fuerit neglexerit, prout ipsius beneficii qualitas seu etiam condicio exigit, residere, beneficio sic obtento privetur. Mandatum autem nostrum in hac parte taliter implere curetis, quod in eo impendisse laudemini misericordiam impetranti et obedientiam mandatorum. Volumus autem quod omnes alie littere, ab apostolica sede vel ejus legatis seu quibuslibet aliis obtente, nec non promissiones et obligationes a quibusconque personis facte super ipsius clerici provisione, sint invalide omnique careant firmitate ; presentes vero litteras extendi volumus ad ecclesiam cathedralem, ita quod de canonicatu vel prebenda seu personatu aut dignitate ipsius ecclesie nullatenus earum auctoritate valeat provideri, decernentes autem, si secus actum fuerit, irritum et inane. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Datum Rome apud Sanctum Petrum, quarto nonas aprilis, pontificatus nostri anno primo.

Hujus igitur auctoritate mandati vobis precipiendo mandamus, sub pena suspensionis et excommunicationis, si in presenti mandato exequendo fueritis negligens vel remissus, quatinus personaliter accedens ad monasterium seu abbatiam de Lucerna citetis peremptorie dictos abbatem et conventum ut ipsi, per se vel per procuratorem ydoneum, compareant Constanciis coram nobis ad diem martis ante Ascensionem Domini, visuri et audituri inquiri de vita et moribus et de etate et natalibus clerici memorati et utrum sit aliquod impedimentum canonicum quare non sit dignus ad beneficium ecclesiasticum obtinendum, et de aliis hujusmodi negocium tangentibus, et ad procedendum in negotio dicte provisionis, ut jus erit, si sua crediderint interesse, intimantes eisdem quod, sive venerint, sive miserint, sive non, ad premissa procedemus, ut jus erit, eorum absentia non obstante. Datum anno Domini M CC LXX octavo, die lune post Cantate.